



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Digressio 18. De rerum duratione, ad tex. com. 40.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

uerti perturbant, dum cessant: quod imperfectissima sint, & in suis causis virtute retineantur. Sed & spontanea hæc fortasse dicuntur, quasi sponte sese atque ex accidenti rebus ingerentia: non ex primario nature instituto, sed ne materia ad animam frustra fuerit disposita, numerosissima hæc sunt, vt quod durationi detrahatur, multitudine compensetur. Casu hæc fieri dixit Philosophus in Text. 31. lib. 7. Methaphys. Magis attingunt, inquit Themistius, quorum perpes accensus nulla diuisione aut interiectione confunditur. Minus attingunt cætera animalium genera, quæ statis & descriptis temporibus modo comparent, modo penitus abolentur, rursumque renascuntur & procedunt. Ita respondebunt hæc verba superioribus, quibus duplicem posuit regenerationis modum, vnum ex propagatione, alterum ex putredine spontaneum.

Alio etiam modo participant esse diuino, hæc claris, illa obscuris: quod diuinæ nature & perfectionis similitudinem quædam habent magis, alia minus expressam. Homo magis, quam bruta, quia intelligens: bruta magis, quam plantæ, quia sensus cognoscunt: plantæ magis, quam inanimata cætera, quia viuunt.

Fortasse verba illa (ipso semper) priorem, & illa (& diuino) posteriorem interpretationem significant. Vt tamq. colligas ex Text. 10. lib. 1. de Cælo, vbi à primo principio immortalis & diuino cæteris dixit communicari, his quidem exactius, illis autem obscuris, esse & viuere.

Quæ verò in quibusdam Codicibus adduntur verba (quare animalium & plantarum semen instrumentum est) sciens prætermisit; quod in emendationibus non reperiantur, neque necessitas videantur. Si tamen addenda sint, iis Philosophus addet, semen, tum animalibus, tum plantis propterea fuisse tributum; vt esset velut instrumentum, quo alterum simile sibi gignendo naturam tueretur suam, sempiternitatemque quo quomodo assequerentur. Quæ enim perfectiora sunt, effusione seminis tanquam aliqua substantiæ suæ parte aliud procreant, & numericam etiam vnitatem quod possunt procurant.

DIGRESSIO XVIII.

De rerum Duratione.

Locus monet vt & vniuersè de rerum omnium duratione dicamus; in speciem namq; de viuentium vita fatis in libro de illorum temperatione dictum est. Celebris est inter Metaphysicos Entis diuisio in essentiam & existentiam, vel naturam & modum, quo essentia sit actus & extra suas causas, si causas habeat. In essentia quædam spectatur latitudo perfectionis, qua vel est ipsum Ens totamque habet Entis rationem, vel tanta aut tanta illius participatio. Et idè vel est infinita & simplicissima, vt in Deo, qui est Ens per essentiam: vel finita & gradibus quibusdam limitata & composita: quemadmodum increatis omnibus rebus, quæ & gradum habent Entis, in quò omnes conueniunt, & gradum talis entis: eumque multiplicem in eadem categoria, dum ratio entis vniuersi paulatim descendit & per plures differentias con-

trahitur ad talem singularem rerum propriam rationem; qua talem dicuntur habere in ente latitudinem; esseque magis aut minus perfectæ, quemadmodum magis aut minus rationem entis participant. Et idè dum inter se comparantur, maioris, minoris, & æqualis rationem habent.

Et quoniam hoc magnitudinem significat; inde magnitudo & quantitas perfectionis existit à magnitudine & quantitate molis diuersa: diuisioque magnitudinis seu quantitatis in magnitudinem aut quantitatem perfectionis & molis: quarum hæc materialium rerum & corporearum sit propria, illa entibus cunctis vel etiam Deo communis. Sed in essentia sola consideratur, non in existentia. Nam vt essentia per se & absolute accepta Entitatem significat, ita & perfectionem. Existentia nec Entitatem nec perfectionem ab essentia distinctam, sed illius modum. Immo præter hanc magnitudinem habet aliam essentiam, dum simul cum aliis sumitur. Hæc est magnitudo deiuncta & essentiarum numerus.

Habet tamen existentia quoque magnitudinem suam; quæ in eo versatur, vt illud esse actus, quod ea significat, non statim atq; habetur cesset, sed permaneat. Atque hæc est duratio, permanentia scilicet rei in esse actus existentia. At quoniam existentia essentiam sequitur, duratio magnitudinem essentia comitatur: & quemadmodum diuersæ sunt essentia, sic aliæ atque aliæ durationes existunt.

Maximè generalis essentiarum diuisio est in eam, quæ increata est & infinita; & eam quæ creata & finita: siue ita principium habuerit, vt immortalis deinceps perseueret, nec vnquam sit habitura finem, quemadmodum essentia separatarum mentium, animi nostri, cælestium corporum, primæ materia: siue mortalis & habitura quoque finem, vt reliqua, quæ lunæ ambitu continentur. Hinc triplex existit duratio. Infinita vna, independens, principio carens & sine, solum Dei propria, Eternitas. Altera finita, dependens, principium habens, sed carens fine, intelligentiarum & reliquorum Entium immortalium; Æuum. Tertia, quæ finem etiam habet, omnibus iis, quæ gignuntur & occidunt, communis, tempus. At quemadmodum Deus, Intelligentia, quæq; ab interitu libera sunt, essentiam habent totam simul, absque successione vlla & variatione: quæ verò oriuntur & intereunt, successionem habent & motum, atque in perpetuo fluxu versantur. Ita duratio quædam est impartibilis prorsus, inuariabilis, sine successione, tota simul collecta. Ea est Eternitas & Æuum. Alia, quæ & successionem habet & variationem: Tempus nimirum, quod sequitur motum, quo res mortales continenter agitantur & fluunt. Et idè definitur Numerus motus secundum prius & posterius: hoc est variabilis mensura & successio motus.

Duratio igitur, si vniuersè consideretur, à successione abstrahit, totaq; simul esse potest. Abstrahit item à finito & infinito, sicut & magnitudo. Nam si illud esse, quod durat, totum simul sit & infinitum, illius duratio tota simul, inuariabilis, & infinita erit. Sin autem finitum sit, siue totum simul, siue variabile & succedens; similem quoque durationem habebit. Ita omnino se habet Eternitas Dei ad Æuum & tempus, quemadmodum diuini

RR ij

Quantitas perfectionis & molis

Existentiæ magnitudinem duratio

Duratio triplex

Duratio mensurata

perfectiōnis magnitudo ad creatas omnes perfectiōnes. Et quod mirum videri possit, non omnis magnitudo partibilis est: sed & duratio magnitudo quardam exillit, & tamen impartibilis aliqua: in Deoque vera est perfectiōnis infinita magnitudo, & in quavis substantia latitudo perfectiōnis, vtraque impartibilis. Nam & solius quantitatis molis proprium est esse partibile, & sola duratio successiva cum motu coniuncta partibilis est. Est etiam duratio transcendens quidpiam, quod per omnes res simul cum existentia & essentia vagatur. Verum neque est essentia rei, neque ratione essentia, sed existentie illi conuenit. Essentia enim ab existentia & duratione abstrahit, potestque eadem diutius ac minus diu durare, & diuersa essentia eadem sepe durationem habent. Duratio autem nequaquam abstrahit ab existentia, sed illius permanentiam significat. Erat ea quidem formaliter distinguitur, quoniam existere est rem esse actu, durare autem, eam tamdiu in illo permanere: quod moram addit existentie, ne scilicet statim atque est, desinat esse, sed aliquandiu permaneat. Re ipsa tamen sunt idem, nec ita separantur, vt aliquando sit, aut duratio sine existentia, aut sine duratione permanens existentia. Sed quoniam essentia quoque & existentia sunt idem re, sit vt essentia, existentia, & duratio, ita sint idem, vt non nisi formaliter in rebus creatis, in Deo sola mentis nostre actione distinguantur. Nimirum essentia gradum significat, perfectiōnem, ac definitionem, quæ in rebus creatis genere ac differentia continetur: existentia illam esse actu: ac demum duratio permanentiam eius ac moram. Eternitas re est ipsemet Deus absque principio & sine independenter durans: suum res ipsa æterna: tempus res temporanea in suo esse perseverans. Dum verò essentia & existentia in rebus creatis formaliter distinguuntur, sit vt duratio quoque, quæ in existentia consideratur, ab ea re, quæ durat, formaliter differat: in Deo sola mentis nostre cogitatione. Propterea quoddam alia non est in eo essentia & existentia distinctio. Quoniam ob causam is non solum æternus, sed ipsa Eternitas est: & cum dicitur Eternitatem mensuram, secus id, quàm de rebus creatis, affirmatur. Hæ namque ante mentis nostre actionem verè suis durationibus mensurantur, quòd ab illis distincta sint. Deus non nisi ex nostro intelligendi modo, dum Eternitatem vt aliquid ab eo distinctum & tanquam mensuram concipimus, quæ alioqui mensuræ rationem habere non poterat, quòd ab eo non distingueretur.

*Duratio
vt distinguitur
à re, quæ
durat.*

*Motus
et temporis
distinctio*

Motus quoque & tempus in rebus, quæ oriuntur & pereunt, sunt idem re, solaque differunt forma. Nam successio, quæ in hoc rerum inest genere, atque essentiam immutat, & consequenter existentiam, quatenus essentiam afficit atque ad illius acquisitionem aut destructionem tendit, rationem motus constituit. Quare cum harum rerum essentia non sit consistens, sed ad interitum continenter fluat, verisimè dicuntur semper esse in motu. Quatenus verò existentiam afficit & in ea moratur, atque ad exitum semper immutat, appellatur tempus. At Deo, cuius nec essentia nec existentia variationem admittit, immutabilitatem tribuimus ratione essentia,

atque ratione existentia æternitatem. Quæ admodum verò essentia & existentia, sic motus & tempus sunt eadem res. Eadem inquam successio, quæ etiam idem est cum ea re, quæ succedit. Quam ob causam consentientibus Philosophis non nisi vnicum est Ens successuum, quoniam tamen accidente distinctione formalis, prior natura est essentia, quàm existentia, præterquam acquirere esse, quàm esse & in eo permanere: siquidem existentia tanquam motus & actus vltimus essentia aduenit: prius quoque natura est acquirere successiue esse, quàm in eo perseverare. Ita prior natura est motus, quàm tempus, & tempus verè dicitur consequi motum, velut illius affectio, & tanquam posterius quidpiam & notius, esse illius mensura.

Vniuersè autem loquendo, quoniam mensura id est, quo cuiusque rei magnitudinem cognoscimus: quod duplex est magnitudo, totidem erunt mensuræ. Quadruplicem hæcenus magnitudinem commemoravi: Perfectiōnis vnam, alteram coniunctam, tertiam deiunctam, quartam successiōnis & durationis. Id verò, quod aliud cognoscitur, notius esse oportet. Et mensura igitur notior esse debet illi, quæ mensuratur. Immo perfectiōnis magnitudo hoc habet proprium, vt illius mensura non solum notius quidpiam sit, sed & perfectius: quemadmodum nobilissima species cuiusque generis certæ mensura est. In magnitudine coniuncta præterenti accipitur aliquid eiusdem generis, quod notius sit. In deiuuncta illud cernitur singulare, vt mensura cæteris simplicior sit, nempe vniuersa. In successiōne & duratione etiam sunt idem, quæ tamen duratio, vt significat tempus, est quod posterius & notius, sumitur tanquam mensura successiōnis, quæ constituit motum, est eam quoque motu deinde metiamur. Rursum etiam durationes æternitatis & æui sunt nobis vltimè occulta, temporis duratione notior, vt illis coexistit, eas mensuramus. Ac demum quæ cetera tempora, quæ singulos motus consequuntur, vnum est altero notius, notissimum illud de communissimum, quod cæli motum consequitur, vtriorum omnium mensura accipitur. Et dum cælestes quoque motus & durationes non omnes æquè cognoscimus, notissimos vni malumus: motu scilicet primi mobilis maxime conspicuo; deinde motu solis, tum lunæ, alterum annum & mensem distinguentes: reliquorum orbium motibus non vtimur, quod vique ad hoc perspecti non sint.

TEXTVS.

Εἰ δὲ ἡ ψυχὴ τῶ ζώοντος οὐκ ἔστι αἰτία τῆς κινήσεως, ὡς λέγεται.

Est autē anima viventis corporis causa et principium. Et ac autem multis modis dicuntur.

COMMENT.

COMMENTARIUS XLI.

Magnopere laborat Philoponus, ut hanc orationem cum superiore coniungat: & mea quidem sententia, minus allegatus est quod querebat. Themistius & Simplicius ne verbum quidem. Latini ferè volunt enumeratis animæ vegetantis facultatibus animam ostendi illarum causam esse. Avertis iudicium magis probo: Cum enim ex generali animæ definitione haberetur animam esse animati corporis formam: & post ex iis, quæ de facultate sibi simile procreandi postremo dicta sunt, colligi satis posset eam efficientem item causam esse; voluit omnino exponere quot modis ea sit in viventibus causa. Siquidem hoc quoque prædicendum fuit, antiquam ad specialem animarum singularum tractationem magis descendat. Quo loco simul etiam explicabit quæstionem propositam in text. ii. en anima sic actus corporis ut nauta navis, iuxta posteriorem illius loci interpretationem ibi factam: Docet enim eam non solum esse actum corporis formantem, sed etiam eo utentem, dum modos omnes iudicabit, quibus anima est causa in animato corpore.

Causam autem & principium nominat, ut etiam pluribus aliis in locis, utramque coniungere voluit. Vtriusque multiplicem ait esse acceptionem. Nam & quatuor causarum genera in secundo Physicorum lib. statuuntur, & acceptiones principij varie in quinto Metaphysic. text. ii. commemorantur. Latius tamen principij, quam causæ, notio patet. Etenim communis principij notio explicatur eodem loco; cum principijs omnibus commune esse dicitur esse primum, unde res incipit, aut esse; aut fieri, aut cognosci: visque principij in eo cernitur, ut ab eo procedat quidpiam, atque id principium dicitur, à quo aliud quocumque modo derivatur, abstrahendo à prioritate, efficientia seu influxu, & essentiali distinctione, comparatione illius, cuius est principium. A prioritate, inquam, temporis aut naturæ. Quoniam non est semper necesse, ut principium sit prius eo, cuius est principium. Est enim hoc apud philosophos non repetiam; Theologi tamen nostri verissimum esse docent, cum in divinissima Trinitate Patrem Filij principium, nec tamen priorem eo dicunt. Quippe mihi prius, nil posterius, neque tempore, neque natura. Eodem modo de filio loquimur comparatione sancti Spiritus: quamvis Filium principium secundum, & Patrem principium primum dicamus. Quoniam ille ita principium est, ut sit à Patre velut principio, quod nullum habeat principium sui. Sola igitur originis prioritas est. Abstrahit etiam principium ab efficientia. Potest enim principium esse, quod nihil efficiat: quo modo mane dicitur principium diei, & terminus à quo principium motus, & punctus principium lineæ. Denique abstrahit ab essentiali distinctione. Quoniam in divinis personis principium & id quod est à principio non essentia, sed relatio.

Anibus folis distinguuntur. Correlatum autem principij non est principiatum, sed id, quod est à principio. Siquidem Patrem principium dicimus, at Filium non principiatum, sed à principio: quod illud imperfectionem & essentiali distinctionem significare videatur. Itaque principium ordinem quemdam solum dicit, siue productionis, siue temporis, siue loci, siue dignitatis, siue cuiusvis alterius generis.

At causa his omnibus influxum addit. Causa enim est, quæ in aliquid influit; siue producendo ut efficiens; siue alio modo communicando esse, ut cetera. Hoc enim est causare, communicare alteri esse. Ideo naturæ saltem prioritatem & essentiali distinctionem inter causam & effectum significat. Quippe non potest idem esse causa sui ipsius.

B Hinc mutatio & privatio; quod non possit causa dare suum esse, sed aliud debeat novum producere, quod antea non esset. Quocirca etiam antiquiores Græci Theologi nil veriti fuerint causæ vocem in divinis usurpare, Patrem Filij causam appellantes, nihil aliud causam, quam principium dicentes: Latini tamen accuratè magis distinguentes has voces, non causam, sed principium dici maluerunt, ut errandi omnis evasio vitaretur. Omnis igitur causa principium, at non omne principium causa. Punctum lineæ principium dices, non causam. Nam si causa esset, maximè videretur esse ut materia, quod in textu Physic. lib. multis confutatur. Ut non sit mirum, si & hoc loco & alibi sæpè voces hæc coniungantur, ac pro eadè usurpentur. Etenim omnis causa principium, & in text. 3. lib. 4. Metaphysic. hæc idem esse dicuntur, sicut unum & Ens, solæque ratione differre: quod latius principium patet, & principium ordinem significet unius ab alio; causa autem influxum. Vel ut interpretatur Alexander, principium dicitur ut est primum & ab eo res est; Causa verò ut propter illam est. Ferè autem principium efficienti causæ attribuitur, ut in text. 19. lib. 3. manifestum est; eamque principium motus appellare Philoponus consuevit: & ordo ille progressionis unius ab alio; qui principij nomine significatur, in hoc genere causæ maximè apparet.

C Solet etiam interdum addere Elementa; principia dicens, causas, & Elementa, ut in text. 1. lib. 1. Physic. in quorum verborum interpretatione mira dissensio. Sed aut quod de illis vocibus nondam satis inter antiquos constitisset, ut ex Plutarcho cognoscitur in primo lib. de Philosophorum placitis cap. 2. ut omnem tolleret ambiguitatem coniunxit omnes, ne de vocibus quæstio superesset. Aut quod hæc omnia idem re esse putaret. Nam & in quarto Metaphysic. text. 5. de principio & causa id expoluit; & text. 23. lib. 12. aliud, inquit, est principium aliud elementum; ambo verò causa sunt, & principium in hæc dividitur. Ferè tamen principium & causam observabis omnia causarum genera significare, elementum solas causas internas, materiam & formam, ac præsertim materiam. Nam & elementa mixtorum materia sunt, & ad materialem causam perpetuo reuocantur, & Elementi definitio in text. 4. lib. 5. & extremo libro septimo Metaphysic. soli materiæ convenit. Quia etiam materia & forma constet compositum; in formam tamen dissolu-

D Exponitur verba quædam text. 1. lib. 1. Physic. Elementa in axioma materiam significat

E Superest. Aut quod hæc omnia idem re esse putaret. Nam & in quarto Metaphysic. text. 5. de principio & causa id expoluit; & text. 23. lib. 12. aliud, inquit, est principium aliud elementum; ambo verò causa sunt, & principium in hæc dividitur. Ferè tamen principium & causam observabis omnia causarum genera significare, elementum solas causas internas, materiam & formam, ac præsertim materiam. Nam & elementa mixtorum materia sunt, & ad materialem causam perpetuo reuocantur, & Elementi definitio in text. 4. lib. 5. & extremo libro septimo Metaphysic. soli materiæ convenit. Quia etiam materia & forma constet compositum; in formam tamen dissolu-

non dicitur, quod dissolutio in ea fiat, quæ manent: neque vnica intelligente anima excepta remanet forma post compositi dissolutionem: eandem ob causam in primo lib. de priori Analisi cap. 1. in subiectum dumtaxat & attributum quæ sunt vt materia, dissolui dicitur propositio, non in copulam, quæ vim habet formæ: quod illa maneat, hæc pereat. Itaque non temerè dixeris elementum hoc loco nominatum non fuisse, quod esset perspicuum, animam non esse vt materiam: tum quia in text. 4. iam eam ostenderat non esse corpus, seu materiam: tum quia si est vt forma, quemadmodum antea definiuit, nequaquam potest esse materia: siquidem hæc duo causarum genera diligit habent naturam, neque in eandem rem conueniunt vnquam.

Anima non elementum, sed tamè principium esse.

Propterea non elementum, sed causam & principium dixit: siue hæc pro eodem vsurpètur, quasi diceret, siue causam, siue principium appellare velis, anima est viuentis corporis causa seu principium. Siue potius diuerso significato nominentur. Nam non temerè causam prius, deinde principium dixit. Sed quoniam ex definitione principio proposita fuit ostensum, animam esse actum & formalem causam: deinde ex iis, quæ de facultatibus quoque adiecta sunt, eam habuimus esse principium, hoc est velut efficientem suarum facultatum. Deinde verò quoniam ex definitione habitum fuit, eam esse actum essentialem & dare corpori esse absolutum: cum sit etiam facultatum principium, consequens videbatur, eam dare quoque esse operatiuum, & in eo esse principium operationum. Ac velut Nautam in nauis totam animalis vitam gubernare, atque adhuc sine refertur omnia; maxime ad conseruationem & perpetuitatem, quam tantopere cuncta desiderant. Hoc igitur est, quod ait; Anima est viuentis corporis causa & principium. Quomodo autem sit, ita exponit.

TEXTVS.

Ομοῦ εἰς τὴν ψυχὴν καὶ τῆς διπλοῦς ὑποκειμένης τρεῖς αἰτίαι. Ἡ πρώτη οὗτος ἡ κίνησις αὐτῆς ἢ τὸ αὐτὴν κινεῖν, ἡ δὲ ἡ οὐσία τῆς ἐκφύουσης ὁμοιωτικῆς ψυχῆς αἴτια.

Verum anima tribus definitis modis causa. Etiam vt unde motus ipsa, & cuius gratia, & vt substantia animatorum corporum, anima causa.

COMMENTARIVS XLII.

TAmetsi causa & principium ita, vt dictum est, distinguantur: quoniam tamen re ipsa sunt idem; omnisque causa principium est, et si non omne principium causa: in eo, quod nunc agitur, perinde fuerit, siue causa dicere, siue principium. melius verò fuerit causæ vocem retinere: tum quia magis animæ vim in corpore exponit: verè enim non solum est principium, sed & causa: tum etiam quia forma, finis, & efficiens, quæ de anima demonstranda sunt, propriè in causarum generibus nominantur. Cum igitur & principium & causa multis modis dicantur: Anima tribus modis ex iis, qui in secundo lib. Phys. & alibi definiti sunt, dicitur esse viuentis corporis causa, & vt efficiens, & vt finis, & vt forma. Neque mirum. Nam hæc tres causæ in vnâ & eandem persæpè concurrunt. Verum antequam videamus, quomodo hæc à Philosopho singula demonstrentur, operæ precium fuerit de causarum generibus & cuiusque vi ac natura aliquid prædocere.

A Digressio xix. De quadruplici causarum genere. Quatuor à Peripateticis causarum genera narrantur, Materiale, Formale, Efficiens, & Finale. Antiquioribus materialem causam fuisse cognitam, formalem vix vlli, ab Empedocle, & Democrito obscurè indicatam: efficientem quibusdam notam, haud tamen satis perspicuam, Hesiode primùm, deinde Empedocle & Anaxagoræ: Finale demum à nullo aperte posita, restatur Aristoteles in primo lib. Meteorol. cap. 3. & 4. & 2. Physic. text. 22. & 1. de Partib. animalium cap. 1. & lib. 5. de eorundem vita cap. 1. Sed si res tota diligenter consideretur, ita sunt omnes inter se connexæ, vt qualibet eorum posita reliquæ omnes ponendæ sint. Si enim sit materia, formam adesse oportet, quæ illam in specie perficiat: & agens, quod formam illam in materiam inducat: & finem, propter quem agens operetur. Rursum si sit forma, opus est subiecto, in quo ea sit: agente, à quo producatur: & fine, à quo agens ad agendum incitetur. Quod si sit agens, subiectam actioni suæ materiam supponere formam aliquam agendo producit: & propter finem quempiam operatur. Denique cum finis impellat agens ad formam in materia produendam; si fuerit finis, erunt efficiens, materia, & forma. Et ita erunt, vt in diuerso genere lingule primò & per se ad constituendum effectum concurrant, vt immeritò conatus fuerit Seneca Epist. 66. ad duos contrahere, formali & finali relictis. Plato instrumentum addidit & exemplar.

Verum quælibet causa tria omnino requirit. Primum, vt sit aliquid: deinde, vt aliquam habere causandi rationem: postremò, vt in ea sit quæpiam, ratione cuius eam vim habeat. Materiam esse aliquid, antea demonstratum est. Id autem, per quod est causa, ipsius potestas est. Atque vt causandi ratio intelligatur, duo in ea spectanda sunt. Alterum est esse id, in quo suscipiatur forma.

D Alterum esse id, ex quo fiat compositum. Compositum enim esse id, quod omnes causæ intendunt, & cuius dicuntur causæ, certa ratio includit. Nam sunt causæ eius, quod fit seu producitur: producitur autem id, quod tanquam perfectum verè habet esse & in natura subsistit. Hocque est compositum: quod propterea tanquam proprius causarum effectus adfertur, dum ex materia dicitur gigni ignis, per formam ignis fieri ignis, & ob igne produci ignis, vt speciem suam consequatur: omnino naturalium rerum causæ dicuntur, & internæ, externæ reliquæ. Quoniam illæ solæ efficiunt eius constituunt, cuius sunt causæ, neque compositum.

E Si tamè spectetur id, in quod suam primam vim exeruat, id potius ipsamet causæ esse videtur: & ideo sibi vicissim dicuntur causæ. Et enim omnes causent compositum, Enq. perfectum intendunt: quia tamen illud nisi ex pluribus partibus esse non potest, finis primùm mouet agens, agens primùm educit formam, forma primùm format materiam, materia primùm suscipit formam: atque dum ita sunt causæ, producent compositum. Nam cum compositum non sit res distincta à materia & forma, sed illæ ipsæ sibi inuicem coherentes; omnia ratiō causandi, quæ circa materiam & formam versatur, circa compositum item versatur. Et agens educendo formam, materia illam suscipiendo, forma actuando materiam, & finis mouendo agens educendam formam, faciunt nimirum compositum.